

1511 manu promptus ac paratus , ut quivis alias : itaque eos fudit , imperfectis captisque perplurimis . Erat cum illo Aloisius Portus , de quo supra dictum est , validorum & pulcherrimorum membrorum excellentisque virtutis atque invicti plane animi adolescens . Is cum se medios in hostes audacissime intulisset , eosque jam in fugam conjectisset ; ab uno ex illis in collo apud tenentes vulnere tam tenui accepto , ut vix pellem gladius perforarit , omnibus tamen membris captus ab equo statim decidit , sublatusque a suis per manusque servatus prorsus immobilis per plures menses fuit . cæterum exercere se postea in armis nequivit unquam . qui profecto casus cladem illum hostium Viturio , a quo Portus propter virtutem amabatur sane plurimum , odiosam in primis & lachrymabilem reddidit .

*Hortatoria
ad cives oratione,
ut exsolvant ea
qua fisco debent.*

Interim domi Patres ob ærarii inopiam in magna curandæ pecuniæ difficultate versabantur . quamobrem ubi dies comitiorum venit , sedentibus in curiæ subselliis civibus , Principis & reipublicæ nomine scribarum magister sic est eos alloquutus : *Putare se se neminem in curia esse , quem ærarii angustiæ hoc tempore lateant : neminem , qui non videat , quam ad ea recuperanda , quæ indigne amissa sunt , pecunia respubliæ indigeat : ea ut suppeditari ad impensas belli possit , omnia excogitata a Patribus esse , nihil relictum inexploratum , nihil intentatum superesse , præter unum , ut qui fisco debent cives , ii solvant , atque in erarium quod debent conferant : id si fiat , superfuturam pecuniâmagistratibus palam esse : si non fiat , rem ipsam publicam in prædam hostibus & di-reptionem venturam , non esse ab ullo jam ulterius ambigendum : utrum eligere malint , fortunam ipsam eis hodie proponere ; vel eam portionem qua reipublicæ tenentur , sua ipsos manu ei tribuere ; vel hostibus invitatos omnia : nihil enim victis superesse , quod non in victorum potestate sit : ex altero parva suarum rerum parte ipsos defecturos : ex altero prædia , fundos , insulas , domos , uxores , liberos , quibus nihil in vita charius , nihil es-*

se